

fovendo pacifico, causam nobis continue cogitationis adducunt, quadam^c verumtamen prerogativa dilectionis inducimur et sollicita^d meditatione pensamus, qualiter peculiaris regni nostri Sicilie populus³, cuius specialior nos cura sollicitat, cuius nobis est hereditas omni possessione preclarior, sic tranquillitatis decore prepolleat, ut sub cesaris augusti temporibus augeatur. Videntes hoc^e igitur fieri non posse commodius, quam si eiusdem locuples^f gremium ad ubertatis^g sue participium recipiat externos et alienigenis filiis⁴, quos fidelium tamen loca peperint^h, fecundetur, humanitatis instinctu commoniti benigna quadamⁱ provisione decrevimus, ut quicumque securitatis omnimode ac quietudinis avidi ad regni nostri venire voluerint incolatum, domiciliis illuc et familiis omnino translatis^k, ad quod eos libenter et ylariter invitamus, libere veniant, eius secunda fertilitate^l vescantur et^m preter nostre plenitudinemⁿ gratie, quam ipsis favorabiliter impertimur, in collectis et exactionibus publicis^o immunitate decennii se gaudeant incommutabiliter potituros^p.

c) quedam *M.*

d) assidua *M.*

e) hec *M.*

f) locuplex *Cod., M.*

g) utilitatis *M., wohl von Winkelmann falsch gelesen.*

h) receperint *M.*

i) quedam *M.*

k) so *M., transactis Cod.*

l) felicitate *M.*

m) *fehlt M.*

n) plenitudine *M.*

o) publicis *M.*

p) *folgt Tu itaque tam fideliter quam frequenter predicta omnia publicare studioso programme studeas et efficaciter exequi publicata M.*

³⁾ populus peculiaris *Deut. 7, 6.*

⁴⁾ filii alienigenarum *1. Macc. 3, 45.*